



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 56. Dissensio Papam inter & Regem demum sublata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI esset cum ceteris Principibus, aut statibus
A.C. 1509. foedus sancire, absque tamen alteru-
 trius damno. Præterea consensit Ludovicus, ut in suis ditionibus ad omnes tunc vacantes Episcopatus Papa nominaret, minime tamen comprehensis imposterum vacaturis, quos Julius haud aliter conferre posset, quam juxta nominationem Regis, idque non nisi ad certum tempus. (*) Denique Julius II. pollicebatur, quod Episcopum Albiensem Cardinalis de Ambasia Nepotem Purpuratorum collegio adscribere vellet, dummodo ipse ad galerum recipiendum Romam accederet; prius tamen Pontifex Episcopo nominationis suæ literas mitterebat.

§. LVI.

Dissensio Papam inter & Regem demum sublata.

*Guicc. ib.
 Paris. de
 Grass. to 3.
 p. 485.
 Raynald.
 hoc ann. n. 20*

Verum ex hoc ipso articulo de vacantibus Episcopatibus brevi dissensio Papam inter & Regem recruduit. Adversabatur equidem Gallis Pontifex; nec abs re, illi quippe non raro ejus consiliis sese

(*) Hanc conditionem a Pontifice fuisse promissam, disertis verbis Paris de Grassis loco a Continuatore allegato negat.

sese opponere, ac præprimis cum Sæcul. XVI.
 olim Romanam Sedem ardentius ambi- A. C. 1509.
 ret, non modo ejus electioni obstabant,
 sed etiam insuperhabitis, quas cum il-
 lis iniisset, pactis tam post Alexandri VI.
 quam Pii III. obitum, Cardinalem de Am-
 basia, Julio neglecto, ad cathedram S.
 Petri evehere adlaborabant: Unde Lu-
 dovicus Pontificis indignatione præven-
 tus, adversus eundem pari flagrabat in-
 vidia, quam plus æquo manifestabat;
 quin etiam nonnunquam tantopere a de-
 bito deficiebat officio, ut Papam *ebrium*
 convitari non erubesceret, quam calu-
 mnam haud immerito summus Pontifex
 ægerrime ferebat; fervente igitur mutua
 hac diffensione haud mirum, quod ex le-
 vissima etiam causa nova contentionum
 semina succreverint; idque satis aperte
 demonstrat articulus, cujus nuper me-
 minimus; quippe summus Pontifex, cum
 ei beneficia in Curia Romana vacan-
 tia conferendi consuetudo continuo Præ-
 decessorum suorum usa firmata suffraga-
 retur, in Provincia Episcopatum, cujus
 titularis in Curia Romana decedebat, ex
 plenitudine auctoritatis conferebat; id
 vero nuperi pacti violationem esse
 Rex contendebat; cum autem a-
 pud Romanam curiam, quæ moro-
 sius offensis satisfacere solet, jus suum
 prosequi nimis toediosum fore censeret,

Secl. XV.
A.C. 1509

ut promptiori via jus sibimet ipsi diceret, cunctos redditus beneficiorum, quæ a Prælatiſ Curia Romanæ in Mediolanensi ditione possidebantur, auferri præcepit. Julius indignitate facti graviter in Regem concitatus, Albiensi Episcopo, qui Romam Pontificis fide munitus venerat, purpuram concedere recusavit: id vero non nisi infirmum erat vindictæ genus, quapropter Ludovicus hac super re Pontifici haud amplius molestus esse voluit, persuasus, si cæptis firmiter insisteret, certo, si non animum, saltem consilium a Papa mutatum iri: nec sua Regem fefellit opinio; quippe summus Pontifex Regi, cujus major longe erat pertinacia, ultro cessit, ac Provinciæ Episcopatum Præfuli, quem Rex nominaverat, contulit, id quoque se imposterum facturum spondit. Præterea etiam cum Rex Mediolanensibus Ecclesiasticos suorum beneficiorum redditus restitueret, Albiensem Episcopum Cardinalium galero decoravit.

§. LVII.

Lis de Castella Cæsarem inter & Arragoniæ Regem.

*Marian. lib.
29. num. 20.
Guicc. l. c.*

Opportune Venetorum rebus acciderant suscitata Papam inter & Regem dissidia, quæ ipsi in rem suam vertentes